

DE NOMINE – Margarita dicitur a quadam pretiosa gemma que margarita uocatur, que gemma est candida, parua et uirtuosa; sic beata Margarita fuit candida per uirginitatem, parua per humilitatem, uirtuosa per miraculorum operationem. Virtus autem huius lapidis dicitur esse contra sanguinis effusionem, contra cordis passionem et ad spiritus confortationem; sic beata Margarita habuit uirtutem contra effusionem sui sanguinis per constantiam, quia in suo martyrio constantissima extitit, contra cordis passionem, id est demonis temptationem, per uictoriam, quia ipsum dyabolum superauit, ad spiritus confortationem per doctrinam, quia per sui doctrinam multorum animos confortauit et ad fidem Christi conuertit. Eius legendam Theotimus uir eruditus scripsit.

DE SANCTA MARGARITA LXXXIX – Margarita de ciuitate Antiochie filia fuit Theodosii gentilium patriarche. Hec nutrici traditur et ad adultam etatem ueniens baptizatur et propter hoc exosa patri plurimum habebatur. Quadam igitur die, dum iam annum XV attigisset et cum aliis uirginibus oues sue nutricis custodiret, prefectus Olibrius inde transitum faciens et puellam tam speciosam considerans mox in eius amore exarsit et pueros ad se concitus misit dicens: «Ite et eam comprehendite ut si libera est eam

mihi in uxorem accipiam, si ancilla eam mihi in concubinam habeam».

Cum igitur eius fuisset conspectui presentata, eam de genere suo et nomine ac religione requisit. Illa autem respondit se genere nobilem et nomine Margaritam ac religione christianam. Cui prefectus: «Duo prima tibi recte conueniunt quia et nobilis haberi et margarita pulcherrima comprobaris, sed tertium tibi non conuenit ut puella tam pulchra et nobilis deum habeat crucifixum». Cui illa: «Vnde scis Christum fuisse crucifixum?» Et ille: «Ex libris christianorum». Cui Margarita: «Cum ibi legatur Christi pena et gloria, que uerecundia est uestra, ut unum credatis et alterum denegatis?» Cum autem Margarita eum sponte pro redemptione nostra crucifixum assereret, sed nunc eum in eternum uiuere affirmaret, iratus prefectus eam in carcerem mitti iussit. Sequenti autem die eam ad se uocari fecit eique dixit: «Vana puella, miserere pulchritudinis tue et deos nostros adora, ut bene tibi sit». Cui illa: «Illum adoro quem terra contremescit, mare formidat, uenti et omnes creature timent». Cui prefectus: «Nisi mihi consentias corpus tuum faciam laniari». Cui Margarita: «Christus semetipsum pro me in mortem tradidit et ideo pro Christo mori non dubito». Tunc prefectus iussit eam in eculeum suspendi et tam crudeliter primo uirgis deinde pectinibus ferreis usque ad nudationem ossium laniari quod sanguis de eius corpore tamquam de fonte purissimo emanauit.

Flebant autem qui ibi aderant et dicebant: «O Margarita, uere de te dolemus quia corpus tuum tam crudeliter lacerari conspiciamus. O qualem amisisti pulchritudinem propter tuam incredulitatem! Jam nunc uel saltem crede ut uiuas». Quibus illa: «O mali consiliarii, recedite et abite,

Torture

<sup>3</sup> Ed. G.P. MAGGIONI, *Jacopo da Varazze. Legenda Aurea*, Firenze 1998, pp. 616-618.

hec carnis cruciatio est anime saluatio». <sup>1</sup>Dixitque ad prefectum: <sup>2</sup>«Impudens canis, insatiabilis leo, in carne potestatem habes, sed animam Christus reseruat». <sup>3</sup>Prefectus autem faciem clamide operiebat nec tantam sanguinis effusionem uidere poterat. <sup>4</sup>Deinde eam deponi fecit et eam in carcerem recludi iussit et mira ibi claritas fulsit. <sup>5</sup>Vbi dum esset orauit dominum ut inimicum qui secum pugnabat sibi uisibiliter demonstraret. Et ecce, draco immanissimus ibidem apparuit. <sup>6</sup>Qui dum eam deuoraturus impeteret, signum crucis edidit et ille euanuit, uel, ut alibi legitur, os super caput eius ponens et linguam super calcaneum porrigens ipsam protinus deglutiuit, sed dum eam absorbere uellet, signo crucis se muniuit et ideo draco uirtute crucis crepuit et uirgo illesa exiuit. <sup>7</sup>Istud autem quod dicitur de draconis deuoratione et ipsius crepatione, apocryphum et friuolum reputatur. <sup>8</sup>Dyabolus iterum ut eam decipere posset in speciem hominis se mutauit. <sup>9</sup>Quem uidens in orationem se dedit et dum surrexisset, dyabolus ad eam accessit et manum tenens dixit: «Sufficiat tibi quod fecisti, iam nunc cessa de mea persona!». <sup>10</sup>Illa autem eum per caput apprehendit et sub se ad terram deiecit et super ceruicem eius dextrum pedem posuit dicens: «Sternere, superbe demon, sub pedibus femine!» <sup>11</sup>Demon autem clamabat: «O beata Margarita, superatus sum. Si iuuenis me uinceret, non curassem. <sup>12</sup>Ecce, a tenera puella superatus sum et inde plus doleo quia pater et mater amici mei fuerunt». <sup>13</sup>Illa uero eum coegit ut diceret cur uenisset. <sup>14</sup>Qui se uenisse ait ut sibi consuleret quod monitis presidis obediret. <sup>15</sup>Coegit quoque ut diceret cur christianos tam multipliciter temptaret. <sup>16</sup>Qui respondit naturale odium sibi esse contra uiros uirtuosos et quamuis

Apparizione  
del demonio

---

sepe ab eis repellatur, sepe tamen desiderio seducendi infestus existit et quia inuidet homini de felicitate quam ipse amisit quamuis eam recuperare non possit ipsam tamen aliis auferre contendit. <sup>17</sup>Addiditque quod Salomon infinitam demonum multitudinem in quodam uase inclusit, sed post mortem suam cum de illo uase demones ignem mitterent et homines ibidem magnum esse thesaurum putarent, uas confregerunt et demones exeuntes aërem impleuerunt. <sup>18</sup>Hiis dictis uirgo pedem subleuauit dicens: «Fuge, miser!» <sup>19</sup>Et demon statim euanuit. <sup>20</sup>Secura igitur efficitur quia que principem uicerat ministrum procul dubio superaret. <sup>21</sup>Sequenti igitur die conuenientibus populis iudici presentatur et sacrificare contempnens exiuit.

Tortura

---

Corpusque eius facibus ardentibus usque ad intima comburitur ita ut cuncti mirarentur quomodo tam tenera puella tot posset tollerare tormenta.

Deinde in uase magno pleno aqua ipsam ligari et poni fecit ut ex penarum commutatione cresceret uis doloris; <sup>22</sup>sed subito terra concutitur et cunctis uidentibus uirgo illesa egreditur. <sup>23</sup>Tunc quinque milia uirorum crediderunt et pro nomine Christi capitalem sententiam acceperunt. <sup>24</sup>Prefectus autem timens ne alii conuerterentur, concitus beatam Margaritam decollari precepit. <sup>25</sup>Illa autem impetrato orandi spatio pro se et suis persecutoribus necnon et pro eius memoriam agentibus et se inuocantibus deuote orauit addens ut quecumque in partu periclitans se inuocaret illesam prolem emitteret; <sup>26</sup>factaque est uox de celo quod in suis se nouerit petitionibus exauditam. <sup>27</sup>Surgensque ab oratione dixit spiculatori: «Frater, tolle gladium tuum et percute me». <sup>28</sup>Qui percutiens caput eius uno ictu abstulit et sic martyrii coronam suscepit. <sup>29</sup>Passa est autem XIII kal. Augusti ut in eius hystoria inuenitur. <sup>30</sup>Alibi legitur quod III idus Iulii.

Tortura della  
vasca

---

Decapitazione

---

**CAP. XCIII. (88.)**  
**De sancta Margareta.**<sup>4</sup>

Margareta dicitur a quadam pretiosa gemma; quae margarita vocatur: quae gemma est candida, parva et virtuosa. Sic beata Margareta fuit candida per virginitatem, parva per humilitatem, virtuosa per miraculorum operationem, Virtus autem hujus lapidis dicitur esse contra sanguinis effusionem, contra cordis passionem et ad spiritus confortationem. Sic beata Margareta habuit virtutem contra effusionem sui sanguinis per constantiam, quia in suo martirio constantissima exstitit, contra cordis passionem, id est, daemionis tentationem per victoriam, quia ipsa dyabolum superavit, ad spiritus confortationem per doctrinam, quia per suam doctrinam multorum animos confortavit et ad Christi fidem convertit. Cujus legendam Theotimus<sup>1)</sup> vir eruditus scripsit.

Margareta de civitate Antiochiae filia fuit Theodosii gentilium patriarchae: haec nutrici traditur et ad adultam aetatem veniens baptizatur et propter hoc exosa patri plurimum habebatur. Quaedam igitur die, dum jam annum XV. attigisset et cum aliis virginibus oves nutricis custodiret, praefectus Olybrius inde transitum faciens et puellam tam speciosam considerans mox in ejus amore exarsit et pueros ad se concitus misit dicens: ite et eam comprehendite, ut, si libera est, eam mihi in uxorem accipiam, si ancilla est, eam mihi in concubinam habeam. Cum ergo ejus adspectui

<sup>4</sup>Ed. T. GRAESSE, *Jacobi a Voragine. Legenda Aurea vulgo historia lombardica dicta*, cap. XCIII, Lipsiae 1850, pp. 400 – 401.

Cap. XCIII. De sancta Margareta.

speciem hominis se mutavit, quem videns in orationem se dedit et dum surrexisset, dyabolus ad eam accessit et manum tenens dixit: sufficient tibi, quae fecisti, ideo nunc cessa de mea persona. Illa autem eum per caput apprehendit et sub se ad terram dejecit et super cervicem ejus dexterum pedem posuit et dixit: sternere, superbe <sup>1)</sup> daemon, sub pedibus feminae. Daemon autem clamabat: o beata Margareta, superatus sum; si juvenis me vinceret, non curassem, ecce a tenera puella superatus sum et inde plus doleo, quia pater tuus et mater tua amici mei fuerunt. Illa vero eum coegit, ut diceret; cur venisset. Qui se venisse ait, ut sibi consuleret, quod monitis praesidis obediret. Coegit quoque, ut diceret, cur christianos tam multipliciter tentaret. Qui respondit, naturale odium sibi esse contra viros virtuosos, et quamvis saepe ab iis repellatur, sed tamen desiderio seducendi ipse infestus existit et, quia invidet homini de felicitate, quam ipse amisit, quamvis eam recuperare non possit, ipsam tamen aliis auferre contendit. Addiditque, quod Salomon infinitam daemonum multitudinem in quodam vase inclusit, post mortem suam cum de illo vase daemones ignem mitterent et homines ibidem magnum esse thesaurum putarent, vas confregerunt et daemones exeuntes aërem impleverunt. His dictis virgo pedem sublevavit et dixit: fuge, miser; et daemon statim evanuit. Secura igitur efficitur, quia, quae principem vicerat, ministrum proen dubio superaret. Sequenti igitur die convenientibus populis iudici praesentatur et sacrificare contemnens exiit corpusque facibus ardentibus comburitur, ita ut cuncti mirarentur, quomodo tam tenera puella tot posset tormenta sustinere. Deinde in vase pleno aqua ipsam ligari atque poni fecit, ut ex poenarum commutatione cresceret vis doloris, sed subito terra concutitur et cunctis videntibus virgo illaesa egreditur. Tunc V millia virorum crediderunt et pro nomine Christi capitalem sententiam acceperunt, praefectus autem timens, ne alii converterentur, concitus beatam Margaretam decollari praecepit, illa autem impetrato orandi spatio pro se et suis persecutoribus nec non et pro ejus memoriam agentibus et se invocantibus devote oravit, addens, ut, quaecumque in partu periclitans se invocaret, illaesam prolem emitteret, factaque est de coelo vox, quod in suis se noverit petitionibus exauditam, surgensque ab oratione dixit spiculatori: frater, tolle gladium tuum et percutite me. Qui percutiens caput ejus uno ictu abstulit et sic martirii coronam suscepit. Passa est autem XIV. cal. Augusti, ut in ejus hystoria invenitur. Alibi legitur, quod III. ydus Julii. De hac sancta virgine sic dicit quidam sanctus: beata Margareta fuit timoris Dei plena, justitia praedita, religione cooperta, compunctione perfusa, honestate laudabilis, patientia singularis, nihilque in ea contrarium religioni christianae inveniebatur, odiosa patri suo, dilecta domino Jesu Christo.